

LVNÆ DIE 16 M. AVGVSTI A. 2010

A.d. XVII Kal. Septembres a. MMX

I 57

# M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRATRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.llicoppe@skynet.be / <http://web.me.com/fundatiomelissa>  
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne – n° d'agrément P701451



ORBIS LATINVS

# DE CONVENTV ROMANO

**M**edio mense Maio nuntium accepimus magni conventus, quem Aloisius Miraglia in extremo valuerat in Romana sede Academæ Vivarii Novi instituere ; optabat ut conventus potius e seminariis, ubi dialogus fieri posset cum singulis participibus, constaret quam e simplicibus acroasibus. Quamvis tempus ad rem parandam brevissimum esset, non recusavimus tria seminaria moderari.

Magnum prædium, ubi anno MMIX Academia Vivarium Novum sedem suam collocavit, re vera rur situm est paulo ultra urbis Romæ limitem administrativum ; a media urbe circiter 12 chiliometris distat. Horto bene culto, natabulo variisque areis lusoriis circumdatur amplissimum recensque ædificium, in quo instructi sunt complures cœci prælectionibus apti, ingens commodumque auditorium, bibliotheca 40 milibus librorum locuples, amplum refectorium necnon multa dormitoria conclaviaque. Iuvenes undique oriundi ibi nonnullos menses versantur, ut litteris Latinis et Græcis imbuantur ; nonnulli eorum diutius manent et fiunt docentes. Inter conventum discipuli tunica viridi induiti maximo auxilio fuerunt Aloisio ; qui « Pueri Virides » a participibus ubique facile agnoscebantur.

Mirum est Aloisium intra tam breve tempus ducentos circiter participes undique terrarum allicere valuisse, plerosque iuvenes, qui hospitium habuerunt in ipsa Vivarii Novi sede ; moderatores autem, 25 circiter numero, pernoctaverunt in lauto deversorio Villa Pamphili, a quo et ad quem aditus reditusque fiebat conducta autoræda longa.

Veneris die 9 m. Iulii postmeridiano tempore conventus inaugurator. Infeliciter autem eo ipso die in Italia fit operistitium generale, quare multi participes temporis advenire non possunt. Participes ad primum prandium sumendum invitantur, quod propter has inexpectatas molestias hora demum 14 apponitur.

Post prandium quattuor autorædæ longæ participes ducunt ad Universitatem Europæam, quam ante quinque annos condidit ordo Legionariorum Christi. In magni splendideque ædificii ampio et commodo auditorio fit inauguratio conventus, cuius thema est « Monumenta viæque ». Professor Michael von Albrecht, ut honorarius conventus decanus, primam orationem aditiale habet « de Monumentis » ; sequitur professor Andreas Fritsch, qui alteram orationem aditiale habet « de Viis ». Postea Aloisius Miraglia diu ex tempore verba facit de conventus proposito ; occasione utens vehementer increpat nonnulla instituta visu digna, quæ postquam promiserant se loca ad nonnullas sessiones habendas præbituros esse, denique necopinato negaverunt ; inde fieri ut programma nun-



Ostia : circum Aloisium studiosa corona.

tiatum paululum sit mutandum.

Post pausam, qua variæ potiones et crustula præbentur, hora 20 incohantur seminaria ; terna simul haberi solent, quod necessarium est propter materiæ abundantiam, sed etiam aliquatenus dolendum, cum auditori eligendum sit inter complura attractiva argumenta.

Hora 21 autorædæ longæ participes ad Vivarium Novum ducunt, ubi post concentum Horatianum et Catullianum ab alumnis Vivarii Novi editum offertur cena. Sic fit ut moderatores non ante medium noctem ad deversorium vehantur ; iam primo die patet septimanam quieti non esse fauturam !

Saturni die moderatores ientaculum una primum sumunt ad magnas rotundasque mensas in amœnis deversorii subdialibus dispositas. Hora 8 et dimidia autoræda longa eos ad Vivarium Novum vehit, ubi ab hora 9 habentur seminaria de viis rationibusque docendi. Post prandium participes autorædas longas concidunt villam a Lante nuncupatam petituri. Iter est satis longum usque ad vicum *Bagnaia* prope Viterbum ; villæ horti a non paucis habentur ut totius Italæ pulcherrimi. Paulo post horam 16 illuc adveniunt autorædæ longæ et in variis cœcis statim incohantur seminaria. Post pausam hortis lustrandis dicatam, iterum habentur seminaria usque horam 21 et quadrantem. Cena præbetur in ipsa villa ; Aloisius enim contractum fecit cum officina coquinaria, quæ, ubicumque sunt participes, cibos ministrat. Media nocte iterum redimus.

Dominico die quoque seminaria incohantur hora 9 et quadrante nec finiuntur ante horam 16. Tunc autorædis longis petitur Ostia antiqua. Parietinæ lustrantur ; in theatro optime refecto Aloisius comœdiam



Ostiæ : grex ad Iovis templum et ecclesia sancte Aureæ.

Amphitryonis ostendere voluit, sed ultimo temporis momento licentia ei adempta est, nisi magnum pecuniae supplementum solveret. Mutato ergo consilio, grex histrionum ab Aloisio conductus scenam ex improviso ornat in foro ante Iovis templum, cuius viginti circiter gradus spectatores satis commode accipiunt.

Acto spectaculo, oblectamenta nondum sunt finita. Ducimur enim ad proximam arcem, quam papa Iulius II exeunte quinto decimo saeculo curavit exstruendam ; iuxta arcem etiam aedificata est ecclesia cuius frons triangularis iam pertinet ad stilum Renascentiae, sed cuius fenestræ formam Gothicam servant ; arma ficta sunt in parietum anaglyptis, quod non mirandum est, cum Iulius II fuerit papa bellicosus. Benignus huius ecclesiae sacerdos nobis facultatem dat partem interiore quoque lustrandi. Iuxta ecclesiam est aedificium eiusdem ætatis, quod Iulii II sedes fuit et ubi cena nobis præbetur. Redimus ultra medium noctem.

Lunæ die seminaria solito more habentur. Postmeridiano tempore participes autorædas longas iterum condescendunt ac Romam vehuntur in regionem montis Ianiculi ; hora 15 et dimidia pedibus transeunt magnum lautumque viridarium, per quod acceditur ad Villam Sciarram, quæ, inter alterum bellum mundanum partim deleta, per se non est vere pulchra. Ibi statim incohantur seminaria. Cena præbetur in Vivario Novo et participibus hodie maturius licet cubitum ire.

Martis die iam hora 8 et dimidia participes Vivarium Novum relinquunt et oppidum *Caprarola* prope Viterbum situm petunt, ubi mirabundi splendidum inveniunt Palatium Farnesianum. Farnesii ibi cœperant arcem pentagonam exstruere, at cardinalis Alexander Farnesius, cum anno 1534 papa Paulus III factus est, hoc prædium dedit nepoti suo cardinali Alexandro Farnesio, qui, mutato consilio, ibi ab anno

1559 palatum stili Renascentiae curavit lautissime exstruendum. In medio ædificio præsertim admirandum est latum scalarium curvum, quod vocatur « Scala regia ». Lacunaria sunt delicatis picturis ornata. Propter crassos muros æstus in partem interiore non irrumpit, de qua re valde gaudent seminariorum participes. Hora 14 palatum lustratur, Aloisio duce. Prandium præbetur hora demum 14 minuta 40 in palatii pulcheris hortis. Iterum seminaria usque horam 19. Postea præbetur spectaculum de renascentium artium temporibus a grege c.n. « Tres lusores ». Cena fit post reditum in Vivario Novo.

Mercurii die, post solita seminaria, hora 14 et dimidia participes vehuntur ad Villam Hadrianam. Aloisio duce, lustratio fit mirifice ; in nonnullis enim locis unus ex Vivarii Novi alumnis, Ulixes Bravo Mexicanus, rite togatus volumen evolvit unde partes Margaritæ Yourcenar operis, c.t. *Hadriani Memoriae*, in Latinum versas palam legit ; aliis locis subito apparet grex histrionum, qui antiquis instrumentis musicis canunt et antiquo more vestiti saltant. Multo autem minor est sonoritas antiquorum instrumentorum quam hodiernorum ; quare Pueri Virides grave generatrum electricum portant, ut musicæ antiquæ soni modernis instrumentis possint amplificari. Æstus hodie est ingens, ultra 40 gradus Celsianos. De hoc incommmodo etiam providet Aloisius : eius enim Pueri Virides inter participes ambulant aquam frigidam ad libitum præbentes. Peracta lustratione, ducimur ad vicinum oppidum Tibur, ubi adhuc stant nonnullæ columnæ rotundi fani Sibyllæ Cumanae. Hoc templum nunc est in horto lautæ cauponæ, « Sibilla » vocatae, ubi, sumptibus alicuius Mæcenatis, participibus præbetur cena delicatissima.

Iovis dies solito more agitur usque horam 16, qua participes ad Universitatem Europæam iterum ducun-

tur, ubi seminaria finem habent hora 20. Cena præbetur in Vivario Novo et statim post exhibetur pellicula cinematica in memoriam honoremque Iohannis Ørberg.

Veneris die, eodemque conventus ultimo, non minuitur frequentia seminariorum, quæ finem non habent ante horam 19 et dimidiam. Sequitur in magno Vivarii Novi auditorio conclusio conventus. Verba imprimis faciunt Michael von Albrecht et Andreas Fritsch, postea Aloisius Miraglia, qui commemorat hunc conventum quintum esse a se institutum. In primo in insula Prochyta (v. *Procida*) anno 1991 habito agebatur de mutanda tædiosa ratione, qua lingua Latina in scholis doceri solebat. Secundus habitus est Montellæ anno 1998, cum in Italia regimen minuere volebat locum institutionis Latinæ in scholis ; id tunc facere non ausum est et decem anni tranquillitatis secuti sunt. Sequentes conventus facti sunt Neapoli anno 2007 et in Hungaria anno 2008 ; in Hungaria Aloisius cœpit a moderatoribus petere ut potius seminaria moderarentur, quam acroases ex cathedra facerent. Denique novum regimen Italicum locum institutioni Latinæ in scholis tributum minuit ; quare in quinto conventu non solum actum est de viis, quibus quam efficacissime lingua Latina tradi possit, sed etiam de litterarum monumentis, quatenus ad hominum ac præsentim iuvenum animos ad humanitatem informandos virtutesque alendas conferre possent. Nolumus tamen, ait, iterum in sterilem quandam atque ineptam classicorum auctorum venerationem atque adeo in superstitionem religionem delabi, sed ea explorare volumus, quæ apud nostrates per tot hominum ætates Latine in litteraria hac republica tractata sunt.

Ad humanitatem etiam pertinet musica ; quare tamquam ultimam conventus conclusionem Scholæ Novæ musici, Raphael Feye, Alexander Feye et Paulina Caplier, præstantem concentum toti coronæ obtulerunt. Valedicendum fuit inter ultimam cenam usque medium noctem continuatam...

Quid ipse de hoc conventu sentio ? Imprimis Aloisium valde admiror, qui infestis nostris temporibus Latinitatem tam magnifice celebravit ; in tota vita mea Latina iam longa unum tantum virum novi, Valahfridum Stroh, qui splendidos attractivosque Ludos Latinos æque frequentes instituere valuerit, ante 25 circiter annos. Deinde non ab omnibus moderatoribus facta sunt seminaria ; fatendum tamen est hoc difficilis fieri, si magna est participum frequentia ; insuper non in omnibus locis moderator a præsentibus proximus esse potuit ; varietas tamen argumentorum tractatorum multum placuit ; omnes loci in seminariis legendi collecti sunt in crassum librum. Denique, si

quis dubitet num lingua Latina nostris temporibus ad usum communem sit apta, adeat Vivarium Novum ubi omnia fiunt Latine ; seminariis nonnullorum ex eius alumnis interfui et valde admiratus sum quam facile, ubertim necnon emendate loquerentur. Unum tamen dolendum est, quod a Vivario Novo relegatur dimidia pars generis humani, feminina scilicet.

Vexillum fert Aloisius eorum, qui nolunt institutionem scholarem iuniores eo tantum formare, ut fiant efficacia instrumenta in quæstuosis negotiis ; oportet ingeniosis et studiosis pueris puellisque facultatem dare, qui fiant veri homines libertate mentis fruentes. Huius institutionis exemplum dat Schola Nova, ubi discipuli longe a televisione, ludis electronicis, substantiis sonisque stupefactivis se erudiri gaudent. ☩

Gaius LICOPPE



Grex histriorum in villa Hadriana.

## DE NANOMACHINIS

- *scripsit Gaius Licoppe* -

Is, qui hanc symbolam legere volet,<sup>1</sup> imprimis non-nulos necessarios neologismos discere debebit ; iam in titulo quid significat « nano- » ? Plerique nostrum bene sciunt quid sit decimetrum (0,1 m.), centimetrum (0,01 m.) et milimetrum (0,001 m. =  $10^{-3}$ ), sed si mensuræ minui pergunt vocabularium plerumque vix est in promptu. Cum propositum sit ad infimas mensuras descendere, videamus quæ vocabula sint adhibenda :

- $0,000001 = 10^{-6}$  = milionesima pars metri = micrometrum
- $0,000000001 = 10^{-9}$  = miliardesima pars metri = nanometrum
- $0,00000000001 = 10^{-12}$  = milies miliardesima pars metri = picometrum.

Si res infimas inspicimus, non solum mensuræ sunt insolitæ sed insuper leges physicæ, quibus assueti sumus, iam non valent. Ad hæc intellegenda fictum exemplum iuvabit : consideremus virum, cuius statura sit 1,8 m. et pondus 80 chiliogrammata. Ficto miraculo ille vir gradatim minuetur.

Primo gradu eum centies minorem facimus ; eius ergo statura fit 18 milimetrorum, sed pondus tantum 80 miligrammatum, i.e. non centesima pristini ponderis pars, verum milionesima ; nam cum longitudo simplici ratione minuitur, pondus cubica ratione minuitur. Homunculus noster res circum circa adhuc bene agnoscit ; formica, exempli gratia, eandem dimensionem ei habere videtur ac nobis parvus canis. At imprimis valde miratur ingentem vim, qua nunc praeditus est : sine difficultate salire potest ad tricies ( $30 \times$ ) suam statutram ; eius vis vices quinquies ( $25 \times$ ) maior est quam pondus. Causa huius miraculi est quod vis musculorum, quæ pendet a superficie eorum sectionis, mutatur, ut omnis superficies, quadrata ratione et tantum decies milies ( $10.000 \times$ ) minuta est, cum volumen (ergo pondus) cubica ratione mutetur et ergo milionies ( $1.000.000 \times$ ) minutum sit. Hac de causa mirantes videamus formicas onera multo maiora quam ipsas facile ferentes.

Simil vir noster comperit circumiecta insidiarum esse plena. Adit, ut exemplum afferamus, parvam lacunam atque pedem in aquam immittere vult, sed aquæ superficies resistit, tamquam si esset pellicula elastica ; non longe abest quin supra aquam ambulare possit ut insectum gerris lacustris vocatum. Insuper, cum pedem vi immissum extrahit, globus aquæ pedi hæret, quem proicere non valet, nisi pedem vehementer quatiens ; tunc aqua in solum cadens formam hemisphæricam sumit. Causa harum singularitatum a physicis vocatur « tensio superficialis ». Nolo hic explicationes mathematicas huius phænomeni afferre ; sufficit scire quod-

cumque aquæ volumen semper efficere ut minimam superficiem habeat.

Cum tandem vir noster in lacunam se demergere potuit, aqua ei videtur esse viscosa, quasi sit mel ; alius enim liquidi viscositas eo maior percipitur, quo minor est longitudo natantis eiusque celeritas (1 centimetre per secundam) ; in casu huius viri ambæ longitudo et celeritas decies milies ( $10.000 \times$ ) minutæ sunt.

Cum natator noster ex aqua exit valde frigens, poculum ferventis theæ bibere cupit, sed mirans comperit theam intra paucas secundas frigidam fieri. Causa est quod corpus natantis et poculum theæ (0,1 microlitrum) propter minimum volumen vix possunt calorem retinere.

Secundo gradu homunculum nostrum insuper milies minuimus ; eius statura facta est 18 micrometrorum (18 milionesimarum partium metri) ; eius pondus verbis exprimi iam non potest, cum sit  $8 \times 10^{-14}$  pars chiliogrammatis. Nostris oculis eum videre iam non possumus. Eius vis multum crevit, nam æquat eius pondus 25 milies ( $25.000 \times$ ) multiplicatum. Acarus (minima aranea) ei appareat maior quam dinosaurus, granum pollinis maius quam elephas et capillus idem ac ingens arboris truncus. Bacterium (nonnullorum micrometrorum) ei aspectum præbet magni melonis et sanguinis globulus ruber (5 micrometrorum) possit fieri eius sedes. Virus (100 nanometrorum) ei videtur habere magnitudinem nucis avellanæ.


Nobis fingamus virum nostrum e summa pyxide 10 centimeta alta decidentem. Hic casus idem est ac is viri normalis cadentis de aeroplano altitudine 8 milium metrorum volante ; timet ergo ne obteratur ; mirum tamen in modum lente descendit quasi decidiculo suspensus.

Tum vir noster unum ex pulveris granis, quæ in aere volitant, manu capit ; at re vera capere necesse non fuit, nam cum manus grano appropinquaret, id palmæ se sua sponte agglutinavit atque tantum hæret, ut eripi non possit nisi summa vi adhibita.

Vir animadvertis calceamenta quoque solo tam vehementer hærente, ut pedem tantum maximo nisu sublevare possit. Causa huius adhæsionis sunt « vires de van der Waals » vocatæ, quibus atomi inter se attrahuntur ; hoc tamen notandum est, quod statim ac res attractæ paululum disiunguntur, hæ vires extinguuntur. In micromundo ubi nunc versatur homunculus noster vires « van der Waals » multo maiores sunt, quam vis Newtoniana, scilicet attractionis terræ.

Sic ænigmatica ambulatio generis lacertorum, quod gecko vocatur, intellegi potuit ; illi enim lacerti non solum parietem verticalem ascendere possunt, sed

etiam inversi in lacunari ambulare. Causa est quod eorum digiti prædicti sunt multitudine minimorum pilorum, qui « setæ » a zoologis vocantur ; ipsæ setæ terminantur penicillo « spatularum », quæ propter exigiam tenuitatem cuicumque superficie tam proximæ fiunt, ut eis vires « van der Waals » maiores fiant, quam gravitatis vis Newtoniana.



In hoc schemate monstratur una seta e centenis milionibus, quibus prædictus est pes lacerti 'gecko'.

Tertio gradu homunculum nostrum iterum milies minuere statuimus ; sic formam humanam habere iam non potest ; altus enim tantum 18 nanometra tam parvus est ut bacterium ei appareat tantum, quanta navis vectoria, et virus tantum, quantus follis Mongolfieranus. Ambulat ergo in nanomundo, ubi non solum nihil comparari potest cum circumiectis mortaliis mundi, sed etiam nihil luce vidi ; omnia enim hic descripta observantur instrumentis, quæ luce non utuntur, ut microscopium « electronicum » (1933), microscopium « specus effectu » utens (1981) et microscopium « vi atomica » utens (1986).

Homunculus noster solo hæret, cum in hoc gradu tantæ sint atomorum vires attractionis. Hic tamen nanomundus non est immobilis ; in aere enim moleculæ oxygenii ( $O^2$ ) et nitrogenii ( $N^2$ ) continuo et celerime huc illuc moventur et collidunt. Hic omnium molecularum motus pendet a calore : acceleratur, cum augetur temperatura, ad nullum tendit, si temperatura appropinquat zerum absolutum (0 gradus Kelvin vel -273,15 gradus Celsius vel -459,67 gradus Fahrenheit). Hic motus dicitur Brownianus, cum iam anno 1827 detectus sit a botanista Roberto Brown.

Microprocessores, quos vulgo pulices vocamus, pertinent ad hunc nanomundum. Eorum recentiorum sulci sunt 65 nanometra lati et nostro homunculo aspectum præbent viæ stratæ.

Quarto necnon ultimo gradu homunculus noster iterum milies minor fit ; longus nunc est 18 picometra. Virus ei maius appetat quam mons Everest ; ipsi atomi magnitudinem follis Mongolfierani habere videntur.

Decies levior est quam electronum ; singularitas tamen huius picomundi non est in dimensione ; est enim mundus radicibus novus, ubi iam non vigent leges physicæ, quibus assueti sumus ; omnia hic reguntur « mechanica quantica » et « principio incertitudinis », quod anno 1927 enunciavit Heisenberg.

Homunculus noster factus est phantasma ; incertus enim est locus ubi stat ; simul ubique est in aliqua nube ducenties quinquagies (250 x) se maiore. Eodem modo atomi et moleculæ non sunt corpora solida, sed vagæ nubes, quæ possunt haberi ut corpuscula vel undæ secundum doctrinam quanticam et quarum situs et celeritas simul nosci non possunt secundum principium incertitudinis.

Hodie atomos possumus « videre », quod iam mirum est, sed etiam componere. Hoc fieri posse primus demonstravit Don Eigler, qui anno 1989 ope microscopii vi atomica utens valuit 35 atomos xenonis ( $Xe$ ) componere ad litteras IBM formandas. Nondum re vera existant instrumenta ad picomundum pertinentia, sed cotidie utimur extraordinariis nanomachinis, quæ vocantur microprocessores. Vix credibile est microprocessorem, ut v.g. Pentium anno 2005 editum, in sua angusta silicii ( $Si$ ) superficie (162 quadratorum milimetrorum) prædictum esse 376 milionibus transistorum, quorum elementa sunt gradus nanometri.

Naturam investigare tum ad excelsissimum, cum ad minutissimum, nonnulla eius innumerabilia arcana invenire, nonne est modus hodiernus infinitam intelligentiam divinam colendi ? Admiramur indagatorum sagacitatem, laudamus ingeniosos inventores, qui tot extraordinariis machinis orbem terrarum locupletaverunt, sed hoc nihil est præ suprema vi creandi, quæ manifestatur in naturæ ubertate, in incredibili formarum varietate, necnon in animantium intricatissimo phænomeno vitæ. Acutissimos oculos habent omnes scientifici, pauci tamen videre volunt... ☺

---

i. Hæc symbola magnam partem deprompta est de libro hoc : Louis Laurent, *Comment fonctionnent les nanomachines ?*, Les Ulis, EDP Sciences, 2009. E quo etiam assumpta est imago.

## DE TRINITATE SANCTA ET SCIENTIA CERTA

– *scripsit Samius Jansson –*

In Finnia hodierna numerus civium, qui se ex ecclesia Lutherana excommunicare statuunt, quotidianie augetur. Aliqui ex iis accedunt alias societas religiosas, sed pluri manent extra ecclesiam, ut ego. Etiam habet Finnia varias associationes liberalium cogitatorum, ut *Skepsis ry* (id est *Associatio in tabulas officiales relata Skepsis*), qui praeter Deum etiam dubitant, num ii, qui supraterrestres aeronaves se ac harum caelestes gubernatores videntur pro certo habent, vel ii, qui animum posse a corpore seiungi credunt, vel ii, qui cum mortuis colloqui se posse narrant, et similia affirmantes homines re vera possint probare dicta sua.

Sacraenta Christiana in dubium audeo revocare, nam non timeo dictum « Nulla salus extra ecclesiam ». Hoc non fieri posset, si omnes Finni essent fideles et veri Christiani, sed in Finnia etiam multi ex iis, qui se ipsos nondum excommunicaverunt, dubitant, num Deus sit. Qui credunt, tamen tolerant atheistas secundum principium Lutheranum, quod dicit fidem esse rem privatam. Ii, qui non credunt, sed nihilo minus manent in ecclesia, exercent religionem, quae vocatur « Christianitas moralis ». Tales cives non credunt in Deum, sed loquuntur et cantant de Deo tamquam si crederent, quod mos est sic loqui. Ipse censeo fidei simulationem propter mores esse consuetudinem miram, nam certe simulatio est genus mentiendi, annon ? Immanuel Kant affirmavit nos habere regulas absolutas sicut hanc : « mentiri semper est nefas », quo exemplo voluit illustrare imperativum categoricum. Kant iudicavit mentiri esse immoralem consuetudinem hac ratione qua mentiendo contra veritatem loquimur. At secundum ethicam circumstantialem<sup>1</sup> mentiri haud semper est nefas. Locutiones enim sunt *actiones loquendi* et verborum significatio est minoris ponderis quam id quod verbis nostris facere cupimus. Hanc theoriam proposuit John L. Austin. Si ego mentiendo cupio servare amicum ex discrimine capitatis, hoc recte facio, quamvis ad amicum servandum mentiri optem. Sed ubi non sumus in discrimine, prudentius est sincere loqui et credere verba nostra etiamsi nesciremus, an sint vera.

Sanctus Augustinus integrum opus XV capitulorum dedicavit quæstioni, quomodo unus Deus simul possit esse tres personæ, Deus Pater, Deus Filius et Deus Spiritus Sanctus. De hac re scriptum est multum ac in Vicipædia Latina dati sunt nexus ad opera St. Augustini et Doctoris Angelici in quibus argumenta tradunt de Trinitate Sancta. Nolo fusius eorum scripta examinare sed quendam alium textum Finnicum scriptum hic vobis a me Latine conversum ac deinde examinatum propono. In interrete enim repperi paginam cui nomen est « Hyviä uutisia – katolista apologetiikka suomeksi », quod Latine est « Nuntii boni – apologetica Catholica Finnicæ

tradita ». In eadem pagina datur explicatio quædam Trinitatis mathematico-logica. Ergo paulum dicam de usu terminorum in theoria mathematica hodierna. Post hoc dicam aliquid de iustificatione opinionum, nam fieri potest, ut habeamus rationem iustum ad talia credenda, quæ epistemice iustificari non possunt.

Finnica in pagina Nuntiorum bonorum Trinitatis notio explicatur : « Refutationes Logicae Trinitatis sæpiissime delabuntur in confusionem substantiæ et personarum. In Deo enim non sunt tres substantiæ ac Deus non est una sola persona, sed Deus est tres personæ et una substantia. Doctrina Trinitatis non dicit  $1 + 1 + 1 = 1$ . Si singulæ unitates hic significant personas, operatio illa recte peracta dat unum et unum et unum efficere tres. Sin autem eadem unitates significant naturam divinam, Trinitas perperam formula  $1 + 1 + 1$  describitur, nam non sunt naturæ 3, sed 1 sola. Melius describitur Trinitas formula  $1 \times 1 \times 1 = 1$ , quod etiam recte dictum est. Ne quidem recte est dicere rationem logicam postulare naturas et personas necessario esse æque plures. E.g. herbæ certe habent unam naturam, nullam autem personam. Nullam igitur habemus rationem theoreticam negandi in Deo esse unam naturam et tres personas. » Et paulo postea pergitur : « Deus numquam fuit unus ex tribus sed omnis ex tribus, ac omnis ex tribus est ille unicus et idem Deus. » Hic agitur de multiplicatione et additione ac de identitate particularium et universalium.<sup>2</sup>


Si trinitatis definitionem sic formulare cupimus, ut hæc definitio contra leges rationis repugnet, infeliciter nihil aliud habemus nisi ineptam definitionem de re non existenti. Verumtamen parum adiuvat hic dicere notionem Trinitatis Sanctæ simpliciter superare intellectus vim, qua responsione aliqui sibi ipsis satisfaciunt nolentes problema mathematicum illud ulterius cogitare. Feliciter scriptor noster hic supra dat explicationem mathematico-logicam, qua methodo etiam nobis concedit licentiam similibus rationibus ei respondendi. Itaque ego nunc conor explicare quid ipse per trinitatem intellegam. Hoc non facio, ut fidelibus eripiam fidem, sed ut rem mihi ipsi explicare valeam.

Putemus Deum, Christum et Spiritum Sanctum numerari in ordine « personarum divinarum ». Si dicimus tres personas, quæ secundum suas diversas proprietates possunt separari, nihilominus simul esse unum solum Deum et non plures, ita proponimus argumentum contra legem identitatis Leibnizii. Potestne tale argumentum defendi ?

DE IDENTITATE. Quomodo separamus Deum, Iesum et Spiritum Sanctum ? Si sunt res distinctæ, facilime separari possunt. Habent enim proprietates diversas.

Secundum Leibnizii legem identitatis a, b et c possunt esse identicæ res, si F(a) & F(b) & F(c), in qua formula F potest esse quælibet prædicatio. Ergo si dicimus G(b) & F(a) & non-F(b) & non-G(a), hac in formula a et b non sunt inter se identicæ res, nam prædicatio F dicitur de a, non autem de b, et G dicitur de b, non de a. Itaque, si omnes prædicationes de Deo, Iesu Christo et Spiritu Sancto sunt identicæ, eadem ratione etiam hæ ipsæ divinæ personæ sunt identicæ. Quomodo res se habet? Putemus Deum esse Christi patrem, sed Christum non esse Dei patrem. Ita prædicatio « esse patrem Christi » dicitur de Deo, non autem de Christo. Ita possumus separare Deum a Christo. Si essent res identicæ, eadem prædicatio diceretur de ambobus. Prædicatio « esse patrem Christi » diceretur sic etiam de Christo ut de Deo. Problema primum deletum est sed alterum est ortum, nempe hoc: Quid significat dicere aliquem esse alteri patrem? Ipse nunc propono hoc: licet dicere Deum et Christum et Spiritum Sanctum esse tres distinctas personas. Et distinctæ personæ sunt particulares res, quæ possunt inter se addi.

Triangula A et B sunt inter se identica, si habent æque longa latera et æque magnos angulos. Sic A et B habent easdem proprietates et non possunt inter se separari. Notio trianguli est definitio, non res existens – sic dicerent nominalistæ ut Guillelmus de Ockham. Duæ igitur imagines trianguli certa magnitudine sunt separandæ a trianguli definitione. Si latera trianguli A sunt omnia 5 cm longa et si etiam trianguli B latera sunt 5 cm longa, eadem triangula sunt identica. Agitur de uno triangulo, quod nullas alias proprietates habet nisi laterum longitudinem et angulorum magnitudinem. Hic igitur de A et B dicuntur eadem prædicationes et nullæ aliæ. Fierine potest ut in spatio sint plurima identica triangula? Ipse respondeo in spacio esse nulla triangula. Ne quidem puncta, lineæ, quadra etc.



Imagines sunt repræsentationes trianguli, non ipsum triangulum, quod est unicum, id est, unica definitio. Simili fere ratione ego ipse non sum nomen meum, nomen enim est *symbolum* de re, non *res ipsa*. Ne quidem sum eadem res ac imago quæ me repræsentat. Et similiter porro, si dicimus Dei essentiam (vel naturam) esse E, loquimur de proprietatibus Dei, non de Deo ipso. Nam *essentia* est notio Aristotelica, quæ ad proprietates substantiales refert. Possumus imaginari essentiam cuiuscumque rei fictitious. Quales sunt proprietates sine quibus centauri existere nequeunt? E. g. tales: « habere corpus equi et collis loco superiore partem humani corporis ». Secundum definitionem nulli centauri sine ista proprietate existunt. Sed si rogamus, num centauri re vera existant, hæc valde diversa res est. Definitionem centauri possumus facile cogitare sine ulla existentibus centauris. Logistæ hodierni dicunt nos posse intellegere intensionem centauri quamvis

notio centauri careat extensione.

DE ADDITIONE ET MULTIPLICATIONE. Additio intellegi potest ea condicione, qua possumus numerare unitates inter se addendas. Simili ratione si pro coefficientibus adhibemus unitates, multiplicationis sensum perdimus. Quid significet dictum « Deus x Christus x Spiritus Sanctus = Deus »? Coefficientes enim referunt ad rerum multitudines vel congeries. Et quamvis possimus forsan dicere ut scholastici unam bananam, unum prunum et unum malum habere unam naturam communem, nempe « fructitatem », nihilominus agitur de tribus distinctis rebus, quæ possunt numerari. « Fructitas » nihil est nisi proprietas generalis secundum quam diversos fructus in ordine fructuum collocamus. Rerum naturam inesse in rebus diceret Aristoteles. Plato vellet dicere rerum naturam separatim existere. Guillelmus Ockham diceret rerum naturam nihil esse nisi duo verba ab hominibus facta ac nihil aliud existere nisi res particulares. Ita « fructitas » aut inest in fructibus aut existit separatim aut nihil est præter verbum ab hominibus factum.

Recte est dicere  $1 \times 1 \times 1 = 1$ , hoc est *semel semel unum efficit unum*. Simili ratione  $1 \times 1 \times 1 \times 1 \times 1 = 1$ , hoc est *semel semel semel semel semel unum efficit unum*. Coefficientes multiplicant unitates præter scilicet coefficientem « semel ».  $3 \times 1$ , id est, ter unum, ter multiplicat unam unitatem.  $1 \times 3$  efficit idem, nempe coefficientis « semel » multiplicat tres unitates, etiamsi hæc non est vera *multiplicatio*. Secundum mathematicos unitas sic definitur:  $1a = a$ , ubi « a » est quilibet numerus. In hac formula 1 est coefficientis, non unitas. Et coefficientes non licent confundi unitatibus.

DE UNIVERSALIBUS ET PARTICULARIBUS. Per trinitatem intellegimus eandem rem ac per tres unitates. Nam ter multiplicata unitas efficit trinitatem. Si aliter hanc rem volumus explicare, sine nova definitione multiplicacionis via nostra hac in re est obstructa. Metaphysica Aristotelica hanc regulam non tollit. Ego dissentio scriptori illius textus supra dati in eo, quod non intellego qua ratione Deus possit esse « deitas ». Nam proprietates generales non sunt particulares res. Si aliquid est universale, illud non simul potest esse particulare. Et universalia nihil agunt, nam non sunt temporis nec spatii participia.

Unitates representant res particulares quæ inter se separari possunt hac ratione, qua habent proprietates diversas. Ubi Deum, Christum et Spiritum Sanctum possumus inter se separare, ibi eos etiam possumus inter se addere:  $1 + 1 + 1 = 3$ . Ergo hæc proprietas « deitas » potest esse communis inter plures diversos deos, sed talis communis proprietas non efficit, ut agatur de uno solo deo. Etiam « humanitas » est proprietas communis inter plures homines, sed esset ineptum dicere humanitatem esse eandem ac naturam humanam et proinde haud plures homines existere nisi unum. Et « Trinitas » non est proprietas singularum rerum, sed illud verbum nihil aliud est nisi admodum mirus modus de tribus distinctis rebus loquendi. Ubi particularia possunt numerari et percipi, universalia sunt res intellectu abs-

tractæ a particularibus. Possumus facillime intellegere definitionem Dei, sed hoc non efficit, ut ullus deus *particularis* exsistat. Unitatis notio est universalis sicut et trinitatis notio, sed singulæ res sunt particulares. Itaque, si enumeramus tres fructus, licet dicere nos concipere trinitatem fructuum, etiamsi hoc mirabile dictu est. Simili ratione, si enumeramus tres deos, hic concipimus trinitatem deorum, quod nobis nullo modo tollit licentiam dicere Deum in ista trinitate esse unum, etiamsi hoc est falsum dictu. Si diceremus de fructibus fructum esse unum in trinitate fructuum, nemo assentitur. *Sed porro ausulta quod superest fallaciæ...*<sup>3</sup>

DE POLYTHEISTICA FIDE CHRISTIANA. Meæ rationes parum satisfaciunt hominibus qui sibi persuadent Trinitatem Sanctam significare unum Deum, qui habeat tres personas. Quid? *Sostrata, male docet te mea facilitas multa.*<sup>4</sup> Nonne sanius esset reicere notionem Trinitatis sic definitam et loqui de tribus distinctis deis? Fidei autem Christianæ interest servare notionem unius Dei, quamquam in Sacris Scripturis abundant etiam aliæ personæ divinæ, ut angeli, Christus, Spiritus Sanctus etc. Cupiunt recitare mantram « Credo in unum Deum » et simul etiam legere fabulas de aliis personis supernaturæ. Hanc ob rem ipse censeo fidem Christianam esse polytheisticam. Fides Christiana videtur multimodis esse eadem fere religio ac vetus religio Romanorum et Græcorum, sed ministrorum divinorum nomina sunt mutata et deorum imperatoris auctoritas est fortificata. Iesus ipse est semideus sicut Achilles.

DE DISTINCTIONE INTER RES ET DICTA. Philosophus Bertrand Russell monet nos scientiæ nonnisi duo genera habere: scientiam per cognitionem et scientiam per descriptionem. Ita facultate loquendi et verbis cogitandi carentes ut infantes et animalia certe habent scientiam, nempe per cognitionem. Descriptiones sunt fictæ ex sensuum experimentis, ut empiricistæ<sup>5</sup> volunt dicere, sed ingenium nostrum etiam libenter imaginando componit proprietates rerum et ex iis creat novitates. Centauri sunt valde miræ creature ex partibus hominum et equorum compositæ. Et cognovimus quidem equos et homines, non autem centauros. Distinguere igitur iuvat, quando *de re* et quando *de dicto* loquamur. Ubi de aliqua re non per cognitionem certiores sumus nisi per testes et dicta, cavendum est, ne via erremus dicta falsa credendo.

DE PRINCIPIIS SCIENTIÆ. Secundum Platonem scientiæ principia sunt tria: 1) opinio, 2) veritas, 3) explicatio. Ut e.g. meum dictum « Berlusconi est vir Italus » sit scientia, necesse est illud esse 1) opinionem meam, 2) verum, 3) a me recte explicatum, si aliquis me roget, cur credam dictum illud esse scientiam. Hodierna epistemologia monet Platonis definitionem scientiæ non sufficere, nam fieri posse, ut habeamus veram opinionem quam possimus explicare, sed quæ non sit scientia. Simili ratione possumus habere falsam opinionem quam possimus explicare et nobis ipsis satisfacere. Sola igitur rei

explicatione opinionem nostram parum valemus iustificare. Ita quartum principium scientiæ est condicio causalitatis secundum theoriam externalisticam hodiernæ epistemologiæ. Hæc theoria breviter dicit nos non habere rationes sed *causas* ad quamcumque opinionem credendam. Hæ causæ sunt processus psychologici. Secundum hanc theoriam scientia non est certa, nam fieri potest, ut habeamus processus psychologicos, qui in nobis efficiunt falsam opinionem. Et facile explicatur, cur aliqui contra rationes veras credant Deum fidei Christianæ esse unum, quamvis simul loquantur de tribus vel nescioquot personis divinis. Principium talis opinionis non est ratio sed causa – nempe aliquid exterale effecit, ut sic credant. Itaque bene iustificati sunt ad credendum, sed opinionis suæ causam veram ignorant et proinde rationibus falsis videntur rem explicare. Et bene intellegimus, cur credant Deum esse unum et simul tres, etiamsi intellectus noster non postulat, ut comprobemus rationes eorum.

DE VOLUNTATIS VI. Si credimus nos posse scire aliquas res absque ulla dubitatione, sumus fundamentalistæ. Ita e.g. René Descartes erat fundamentalista nam credebat se posse certo scire se ipsum existere ex eo, quod cogitabat. Fundamentalistæ querunt sibi fundamentum scientiæ et censem insanum adire in regressionem infinitam explicationum: nam quicumque semper, ubi aliquid dicimus, potest dictum nostrum in dubium revocare. Fundamentalistæ autem nolunt dubitare, nam potius malunt credere se possidere scientiam certam. Nullo igitur arguento, ut mihi videtur, possumus fundamentalistarum mœnia diruere nisi tali quo eorum voluntatis vim abolemus. Dum enim aliquid credimus, hoc non solum est rationis actio, sed etiam voluntatis. Si firmiter volumus credere Deum esse Trinitatem Sanctam, cuius notio non contra rationis leges repugnet, hæc nobis est veritas, de qua dubitare nolumus. Et simili ratione, si nolumus credere Deum esse, hæc nobis est veritas, de qua disserere vanum sit. *Nulla est tam facilis res quin difficilis sit quan invitus facias...*<sup>6</sup> Confiteor me ipsum non credere Deum esse, etiamsi aliquando libenter cogito, num fieri possit, ut Deus sit. Dicunt piscatores Finnici: « Salmo est tam magnificus piscis, ut operæ pretium sit salmones piscari etiamsi nullum umquam capiamus. » ☩

1. Angl. *Situational ethics*.

2. Quattuor elementariae operationes mathematicæ sunt additio, subtractio, multiplicatio et divisio. Symbolum multiplicationis est  $\times$ , additionis est  $+$ . Rixa inter philosophos de hoc, an universalia exstant, est vetustissima. Hac in re risum promovit quæstio, num rixa ipsa exsistat, nam certe rixæ notio generalis est universalis, participes autem rixæ sunt particulares homines.

3. Terentii *Heautontimorumenos*, 771.

4. Ter. *Heaut.*, 646.

5. Anglice *empiricism* ex nomine Sexti Empirici. Empiricismus ex nomine sholæ empiricistarum Græcorum, qui credebant nos nonnisi experimentis posse scientiam accipere.

6. Ter. *Heaut.*, 805.

# NICOLAI KLIMII ITER SVBTERRANEVM (IV)

*- quod legendum proponit Francisca Deraedt -*

Bone lector, cum in hoc fasciculo una tantum mihi tribuatur pagina, Nicolai nostri Klimii unam tantum tibi præbebo experientiam novam, sed qualē! Agitur enim de ratione. Procul dubio recordaris eum nuper ægre evasisse e Terra Philosophica mirum in modum terribili. Iter nunc pergens tendit ad proximam Terram ea de causa Rationalem dictam, quod omnes incolæ videntur esse Catones. Klimius in urbem principem intrat admiratione plenus... Hæc tamen pericitatio iuvenem baccalaureum iterum invitat ad varias cogitationes, non solum de temperantia colenda, sed etiam de statu Europæarum rerum publicarum.

« Emensus hanc regionem, stagnum fulvi coloris conspicor, ad cuius ripam parata stabat triremis meritoria, qua vectores in Terram rationalem modico pretio feruntur. Pactus de naulo triremem consendo, summaque cum animi voluptate iter hoc explicō : quippe machinis quibusdam latentibus, absque ministerio remigum, impelluntur naves subterraneæ, incredibiliq[ue] celeritate æqua[r]a sulcant. Delatus in terram, mercenarium circumspicio, eoque duce ad civitatem rationalem propero. Dum iter carpimus, statum mihi civitatis indolemque incolarum comes itineris luculenter exposuit. Audiebam cives ad unum omnes Logicos esse et urbem hanc veram esse rationis sedem, indeque nomen sortitam. Civitatem ingressus, vera esse quæ narraverat expertus sum. Quivis enim civis ob iudicium acumen, gravitatem et compositos mores, senator mihi apparuit. Hinc, sublatis in cælum manibus, ‘O terque quaterque beatam’, ingemino, ‘terram, quæ solos Catones parit.’

« At, cum statum civitatis penitus perspexeram, multa hic segniter agi, et ob defectum stultorum rempublicam quodammodo languescere videbam. Nam, cum æqua mentis lance omnia ponderent incolæ, et speciosis promissis, fucatis orationibus et crepundiis nemo moveatur, cessant ista media, quibus ad præclaros et reipublicæ sæpe salutares conatus, facile et absque sumptu publico, animi subditorum acui solent.

« Vitia civitatis, quæ ab exacta ista rerum ponderatione fluunt, pathetice mihi explicit minister quidam ærarii, et quidem his verbis : ‘Arbor ab arbore hic non nisi solo nomine et corporis specie distinguitur. Nulla inter cives est æmulatio, cum nulla acquiri possit distinctionis nota, et nemo videtur sapere, cum omnes sint sapientes. Stultitiam fateor esse vitium, sed, ut penitus exsulet, non optandum. Sufficit cuivis civitati, ut tot sint sapientes, quot sunt munera publica. Sint, qui regant, sint, qui regantur. Id, quod meritis nugis ac crepundiis efficiunt aliarum societatum moderatores,

noster hic magistratus non nisi solidis præmiis, quæ ærarium haud raro exhausti, perficit. Nam ob præstitatam patriæ operam nucleos poscent sapientes, stulti vero putamine placantur.

« Sic exempli gratia distributio honorum ac titulorum, quibus tamquam hamis blandientibus capiuntur ac ad quosvis labores facile impelluntur stulti, parum operatur in civibus, qui sola virtute ac valore interno veram existimationem et solidum honorem acquiri posse iudicant, ac proinde speciosis promissis sibi fucum fieri non patiuntur. Porro, mentio nominis post mortem in annalibus victuri, ad quævis pro salute patriæ subeunda stimulat vestros milites. Nostri vero, mera hæc esse aurium ludibria putantes, phrasin istam (scilicet re vera mori, et in annalibus vivere) non capiunt, cum vanam credant non audituris gloriæ prædicationem. Taceo innumera alia incommoda, quæ e nimio rerum omnium scrutinio fluunt, quæque satis monstrant necesse esse, ut in republica bene constituta dimidia saltem pars civitatis insaniat. Idem in societate est stultitiæ effectus, ac fermenti in stomacho : nam, aut nimio, aut nullo fermento laboramus.’

« Hæc perorantem summo cum animi stupore audiebam. At cum nomine senatus civitatem mihi offerret, in eaque domicilium figere iteratis precibus hortaretur, rubore suffundor, suspicans e concepta de stultitia mea opinione petitionem hanc procedere, et fermentum me iudicari, quo opus esset reipublicæ nimia sapientia languescenti. In ista suspicione mox confirmabar, cum audirem statutum esse senatui ingentem civium numerum in colonias mittere, ac in supplementum abeuntium totidem stultos e vicinis gentibus mutuari. Hinc civitate ratiocinante subiratus egredior. Diu vero animo obversabatur axioma istud subterraneum, politicis nostris adhuc incognitum : quod scilicet in republica bene constituta necesse sit, ut dimidia saltem pars civitatis insaniat. Mirabar præceptum adeo salutare nostri orbis Philosophos tamdiu latere potuisse. At forsitan quibusdam innotuit, sed inter axiomata politica referre noluerunt, cum stultorum apud nos plena sint omnia, et nullus, absit invidia, sit vicus, nedum civitas, quæ saluberrimi huius fermenti defectu laborat. »

Haud insulse scriptum, nonne? ☺

i. Textus, qui hic proponitur, excerptus est e libro nono (cap. 53-57) operis c.t. *Nicolai Klimii iter subterraneum*, auctore Ludovico Holberg (1684-1754).

# DE ROMANO IMPERIO ORIENTALI (X)

## ROMÆ PROTECTOR MVTATVR

*- scripsit Gaius Licoppe -*

Cum anno 717 Theodosius III deponitur, Imperium est in maximo discrimine.

**Leo III Isaurus** (717-741), strategus thematis Anatolici qui eum depositus, in Asia Minore victor iam evasit e nonnullis præcliis cum Arabibus. Ille vir eximius, optimus strategus et rerum extranearum tractator, administrationem militarem, fiscalem et iuridicam statim in melius ordinat. Cum ipse regno vi potitus sit, non mirum si bis auctoritatem contra regni affectatores confirmare debet, primum anno 718 in Sicilia, deinde anno 720 Thessalonicae.

Anno 726 iurum codicem magis practicum, c.n. Ecloga, promulgat, qui habetur unum e præstantissimis monumentis iuris Byzantini post codices Iustiniani et Theodosii. Ibi inter alia augentur mulierum iura et minuitur patria potestas ; etiam loco capitis damnationis substituuntur mutilationes nasi vel linguæ vel manus vel oculorum.

Paucis tantum mensibus postquam imperator factus est, ipso anno 717, Arabes Constantinopolin iterum obsident terra marique. Mahumetanorum vero classis compluries vincitur atque exercitus etiam cladem accipit. Post unum annum Arabes coguntur Constantinopolin relinquere ; eorum impetus in perpetuum est fractus.

Leo III iam anno 720 regnum consociat cum filio Constantino ; una anno 739 califæ Hisham, cuius milites irruptiones vastatrices in Asiam minorem facere pergebant, magnam cladem ad Akronion inferunt.

Pacem etiam facere valet cum Bulgarorum Khano Tervel.

Contra, pax religiosa videtur fieri non posse in Imperio Byzantino : quod iterum demonstratur ‘Rixa Imaginum’. Leo III eiusque successor Constantinus V magnam reformationem religiosam suscipiunt, cuius causæ non solum sunt religiosæ, sed etiam politicæ. Tanta facta est supersticio, tantus locus datur sacris imaginibus miraculisque ab eis exspectatis, ut multi, præsertim in Asia Minore, timeant ne idololatria substituatur veræ religioni. Huic superstitioni favent monachi, quorum monasteria magis magisque frequenter fiunt locupletissima. Inde autem res publica duplex detrimentum capit : quo plures enim fiunt monachi, eo rariores agricolæ, milites et officiorum ministri ; præterea ærarium multa pecunia privatur, cum bona Ecclesiæ sint vectigalibus immunia. Insuper tanta facta est monachorum auctoritas apud animas simplices, ut eis sit potestas formidabilis.

Leo III primum edictum contra imagines anno 726 proclamat ; quamquam solum poscitur, ut imagines non ante fidelium oculos sed altius in ecclesiarum

parietibus figantur, statim conflantur tumultus Constantinopoli, in Græcia et præsertim in Italia. Imperator iubet papam Gregorium II edictum exsequi, ne statim deponatur, sed ille negat et exarcham Ravennatem, iussi nuntium, excommunicat. Insuper imperatorem reprehendit quod non valeat Italiam contra Langobardos defendere et Romanis suadet ut vectigalia Constantinopoli iam non solvant. Romæ incolæ Ducem Byzantium expellunt ac rem publicam sui iuris instituunt, cuius papa fit administer.

Plerisque tumultibus compressis, Leo III anno 730 edictum vere iconoclasticum proclamat, quo iubetur non solum imagines delere, sed etiam sanctorum reliquias. Novus papa Gregorius III (731-741) edictum condemnat et iconoclastas excommunicat ; sic incohatur schisma Ecclesiæ Orientalis, quod semisæculum permanebit. Imperator ad papam, quem habet ut vassalum, puniendum omnia pontificia bona in Sicilia et Calabria confiscat ; insuper Calabriam, Siciliam, Cretam Illyricumque obœdientiæ Romanæ subtrahit inque iurisdictionem patriarchæ Constantinopolitani transfert. Inde augetur ægritudo papæ et alienatio populi Italici.

Sunt etiam qui edicto vehementer obstent in Imperii regionibus orientalibus ; inter eos clarissimus est Iohannes Damascenus. Ille enim vir, familia Arabica ortus, qui munere publici administri apud califam fungitur, controversiam de imaginibus habet cum Leone III. Tunc Iohannes, quem Basileus a califa condemnari vult, vitam sæcularem relinquit et monachus fit in Palæstina. Ibi conscribit librum theologicum, *De fide orthodoxa* ; acerbam controversiam etiam habet de religione islamica, quam dicit esse hæresin. Agnoscitur ut pater et doctor Ecclesiæ.

Quod Iohannes, christianus, munere magni momenti apud califam functus est, non est mirandum ; nam in Syria privilegiis adhuc fruuntur christiani, cum califis olim fuerint magno auxilio ad administrandum novum imperium ; ibi christiani adhuc sunt decima pars incolarum. Aliud exemplum califarum gratiæ ostendit Sergius, Iohannis pater : cum Al Walid I Damasci in amplio sanctuario templi Iovis magnam meschitam, quæ Omeiadum vocatur, exstremre statuit (705-715), delenda erat basilica Sancti Iohannis Baptiste in medio eodem sanctuario posita ; tunc Sergius obtinuit ut quattuor novæ ecclesiæ pro christianis ædificantur.

**Constantinus V** (741-775), Leonis III filius, iam ab anno 720 factus patris socius, res eodem modo gerere pergit ; detractores eum cognominant « Copronymum », cum inter baptismum pannum spurcaverit ; serius

# HISTORIA

« Caballinus » etiam cognominatur propter equorum amorem.

Dum Constantinus V bellum in Syria gerit, Artavasdes, Leonis III gener, anno 741 favente patriarcha Anastasio throno potitur, unde duobus annis post expellitur. Constantinus V, qui monophysismum profitetur et potentiam cleri orthodoxi timet, anno 754, Hieriae, prope Calchedonem, concilium non oecumenicum instituit, ubi decernitur Christum esse ἀπεριγραπτον, id est qui imagine fingi non potest. Inde edicta patris confirmat.

Constantinus V se bonum strategum ostendit : anno 741 Syriam septentrionalem occupat, anno 750 Cyprum recuperat atque anno 762 totum Bulgarorum exercitum extinguit.

Interea Damasci res mutantur. Omeiadum regendi modus magis magisque displicet incolis, cum illi solum Arabibus faveant et ceteris incolis etiam mahometanis factis diffidant. Rebellio incohatur in Irania pro aliquo prognato Mahumeti patrui Al Abbas. Postquam tres annos certatum est, anno 750 stirpi Omeiadum succedit stirps Abbassidarum. Novi califæ sedem e Syria in Iraquiam transferunt, Bagdatum urbem caput eligunt. In novo imperio Islam exercetur ut fraternalitas credentium præceptis coranicis et traditione sunnitica submissa rectaque ab uno duce potentia tum religiosa cum politica prædicto. Translato imperii umbilico, eius cultus iam non imbuitur hellenismo, sed magis magisque cultu Persico.

Constantinus V, in Oriente nimis occupatus, impediare non valet quin Langobardi anno 751 Ravennam expugnent. Hæc clades est magni momenti ; perdita enim Ravenna, imperator Romam a Langobardis defendere iam non valet.

Cum Stephanus II, illustri Romano genere, anno 752 papa eligitur, primus Italus est post longam seriem orientalium pontificum. Langobardi tunc totam Italianam in dicionem suam redigere volunt, quod negat papa. Impotens Constantinus V Stephano II licentiam dat militarem tutorem quærendi. Opportuna autem occasio datur, cum superiore anno Pipinus Brevis, annuente papa, Childericum III, Francorum regem, deposuerit et ipse factus sit primus rex stirpis Carolingorum.

Hieme 753-754, Stephanus II Alpes transit Francorum regnum petiturus. Ibi affabiliter recipitur a Pipino, quem die 27 m. Iulii a. 754 Parisiis sacrat in basilica Sancti Dionysii ; ei confert titulum regis Francorum et patricii Romanorum ; pro quo honore Pipinus se exarchatum Ravennatem papæ daturum esse promittit. Stephanus II in Italiam reddit cum Francorum exercitu, qui anno 755 e Ravennati exarchatu expellit

Langobardos. Idem tamen postero anno Romam obsident. Papa auxilium iterum petit a Pipino, cui tres anni necessarii sunt ad Langobardos e Ravennati exarchatu in perpetuum expellendos.

Hæc eventa sunt gravissima, cum Roma ab Imperio Byzantino se omnino abalienet. Donatio Pipini, qua Ravennam, Perusiam, provincias Æmiliae et Pentapolis papæ tradit regendas, initium est Status Pontificii qui etiam Patrimonium Sancti Petri vocatur. Hæ tamen Italiæ regiones pertinent ad Imperium Byzantium, cuius tanta manet præstantia, ut aliquid inveniendum sit ad tuendum id quod factum est : hæc est falsa Donatio Constantini. Hoc documento Constantinus I dicitur papæ Silvestro nonnulla magni momenti emolumenta contulisse, inter quæ hæc : papa Romanus ecclesiis orientalibus præstat et insignia imperialia accipit, quibus potestas in Occidente ei traditur. Tantum medio quinto saeculo Laurentius Valla demonstrare valuit hoc documentum esse falsum et octavo saeculo confectum.

Leo IV (775-780) succedit patri Constantino V ; Khazar cognominatur, cum mater ad hanc gentem pertineat ; ipse uxorem dicit Irenam Athenensem. Intra breve regnum initio indulget imaginum fautoribus, sed postea in eos iterum sævit. Cum Arabibus in Syria pugnat, sed impedire non valet, quin isti tres incursiones in Asiam Minorem faciant. Bulgarios continet atque efficit ut eorum Khanus Telerig baptizetur. In Italia solum servat Venetas et nonnullas urbes in parte meridionali.

Constantinus VI (780-797) solum decem annos natus est, cum patri succedit. Mater Irena, quæ duos Leonis IV filios throno deiicere valuit, una cum filio suo coronatur et Imperii habenas tenet.

Irena, cogitans iconoclasiam plura detimenta quam emolumenta Imperio attulisse, decernit eam relinquare ; bonam consuetudinem restituere vult cum papa Romano, a quo Orientales iam 50 circiter annos habentur schismatici.

Irena anno 781 ad novum Francorum regem, Carolum, Pipini Brevis filium, qui tunc Romæ versatur, legationem mittit de pactione facienda ; suadet etiam ut pactio confirmetur matrimonio Constantini VI cum Rothrude, Caroli filia. Quibus acceptis, sponsalia Romæ magnifice celebrantur, matrimonium autem differtur, cum sponsi sint nimis teneri. Duo præceptores manent apud Rothrudem, qui eam doceant linguam Græcam et intricata sollemnia aulae Constantinopolitanæ. Gaudium ex hac pace natum celebrat Paulus Diaconus his versibus :

Nec me latet, sed exulto, quod pergit trans maria  
Vestra, rector, et capessat sceptrum vestra filia  
Ut per natam regni vires tendantur in Asiam.

*(Versus Pauli Diaconi ad Petrum Grammaticum)*

Interea Arabes, qui bellare non desinunt, anno 782 irruptionem faciunt usque Chrysopolin, ad litus meridionale Propontidis ; eorum profectio turpiter emitur.

Irena statuit iconoclastis iam non favere ; in hunc scopum anno 784 Tarasium, laicum palatii officialem, invitum facit patriarcham et anno 786 concilium oecumenicum Constantinopolin convocat, assentiente papa Hadriano I. Irena enim ad papam misit mitem blandientemque epistulam, qua veniam petit pro antecessorum erroribus finemque schismatis Orientis se factram esse promittit. At tantum tumultum excitant iconoclastae, ut concilium Constantinopi haberi non possit ; quare postero anno convocatur Nicæam, ubi iam habitum erat primum concilium oecumenicum.

Adsunt 365 participes, omnes episcopi orientales, præter duos papæ legatos. Imprimis statuitur de argumentis propositis decernere in tota concordia cum Ecclesia Romana ; primatus papæ Romani agnoscitur. Iconoclasia condemnatur et iconoclastæ habentur ut hæretici ; cultus imaginum et reliquiarum restituitur. Ad successum celebrandum Irena una cum Constantino VI concilii participes in Palatii Sacri Aulam Magnam magnifice invitat.

Eodem tempore Rothrudis ad matrimonium parata est. Irena vero timet ne hæc iunior intelligensque femina apud Constantinum celeriter tantum valeat, ut ipsa ab aula relegetur. Tanta ei est cupiditas regnandi, ut sponsalia rumpat et filium invitum cogat uxorem ducente Mariam Armeniam. Anno tamen 790 Constantinus VI ab exercitu proclamatur solus Basileus autocrator et Irena relegatur. At cum ille proprios fautores brevi deceperit et a Bulgaris victus sit (792), Irena odio populi erga filium suum utitur ad regni habendas iterum tenendas.

Carolus, Magnus cognominatus, Rothrudis contumeliam ægre fert, quare negat concilium Nicæense oecumenicum fuisse atque anno 794 Francofurtum<sup>1</sup> convocat concilium Occidentis ; ille se habet, æque ac Imperator Constantinopolitanus, ut veræ fidei tutorum. Ipse in concilio præsidet, nec longe abest quin schisma Occidentis inducat. Tunc enim curat ut conscribantur, verisimiliter ab Alcuino, Libri Carolini, quibus concilii Nicæensis decreta ad imaginum adorationem spectantia condemnantur. Hi autem Libri etiam redolent odium Caroli Magni erga aulam Constantinopolitanam, cuius superbia, tituli luxuriosaque sol-

lemnia eius invidiam excitant. Francis etiam displicet feminam, Irenam scilicet, cœtibus politicis necnon religiosis præsidere ; in Libris enim Carolinis dicitur sexum femininum debilem esse et mente mobilem ; auctor Scriptura Sancta nitens commonet mulierem viro datam esse ad progeniem pariendam, ad ministrandum, etiam ut eum in peccatum induceret, sed nullo modo ad eum docendum.

Receptis Libris Carolinis, papa Hadrianus I, contra Caroli Magni iussum, negat Irenam excommunicare. Incommoda vero est eius condicio : ex una parte Græcis displicere non vult, cum gaudeat de Ecclesiæ unitate restituta, ex altera parte non audet offendere novum protectorem, Carolum Magnum ; prudenter eum adducere valet, ut concilium Nicæense accipiat ; schisma vitatur.

Constantinus VI, qui iconoclastis favet, populo magis magisque est odio ; insuper anno 797 ab Arabibus vincitur. Irena semper potestatis cupida sinit coniuratos in palatium irrumpere, qui Constantinium oculis privent et in monasterium deducant.



*Imago Sanctæ Irene iuxta imagines Christi, quattuor euangelistarum et Duci Ordelafo Faliero in Palla Aurea, Venetiis post altar Basilicæ Sancti Marci exhibita (Wikipedia).*

Irena (797-802) prima femina est, quæ suo proprio nomine Imperium gubernet ; vocari vult non Imperatricem, sed Imperatorem. Statim post cladem a Constantino acceptam tributum solvere debet califæ Abbassidæ Harun-al-Raschid.

Romæ anno 795 papa electus est Leo III ; hic, cum sit humilis natus, displicet nobili familiæ Hadriani I, quæ ei insidiatur eumque de medio tollere conatur ; evadere tamen valet et ad Carolum Magnum in Germaniam confugit.<sup>2</sup> In Italianum reversus Carolum Magnum exspectat, eumque Romæ satis inopinato die 20 m. Decembris a. 800 Imperatorem Romanorum coronat.

Quomodo hoc fieri potuit? Tunc vigere non desiit dogma Imperii Romani unici; ad imaginem Dei unici unus Imperator accipit divinam delegationem. Notandum est papas, etiam tempore quo Leonem III et Constantimum V anathematizaverant, publica documenta signavisse et nomine et anno regni excommunicatorum Imperatorum; nummi quoque ad eorum effigiem cuduntur. Re vera anno 800 Imperium videtur ab Imperatore vacare, cum Francorum iudicio Irena femina regnare non possit; quare Carolus sacratur Imperator Romanorum, i.e. totius Imperii Romani.

Constantinopoli nuntius accipitur non ut ortus alterius Imperii, sed ut factum throni ereptoris, quem putant mare mox traiectorum esse ad Constantinopolin expugnandam. Carolus Magnus re vera de hoc consilio capiendo cogitavit irruptionemque in Sicilia paravit. Nesciens tamen quales sint vires Byzantinorum, una cum Leone III alium exitum excogitat. Duo legati Constantinopolin mittuntur, qui suadeant ut Irena et Carolus matrimonio iungantur.

Consilium integri Imperii Romani restituendi, quo somnium Theodosii et Iustiniani efficiatur, Irenæ non displicet; de matrimonii condicionibus disceptationes incohantur cum legatis. Pascha anni 802 Irena, in aureo curru cubans, quem trahunt quattuor equi albi, singuli a patricio recti, verum triumphum ducit ad ecclesiam Sanctorum Apostolorum; in itinere largitur populo, qui eius laudes clamat.

Paulo post, cum Irena ægrotare inceperit, eunuchus Ætius coniurat ne matrimonium fieri possit; Irenæ

enim successionem parat pro fratre suo. Non solus vero conspirat: etiam factio iconoclastarum, domita sed non extincta, populo suadere valet Irenam Nicephorum, rudem ærarii logothetam (i.e. cancellarium), ut successorem eo designavisse, ne Ætius consilium exsequeretur. Assentientibus præcipuis exercitus ducibus, qui ut optimates abhorrent ab hoc matrimonio, Nicephorus Irenam comprehendit cogitque proprios thesauros tradere; ea deinde relegatur, imprimis in aliquam insulam Propontidis, deinde in monasterium insulæ Lesbi, ubi mærore et desiderio consumpta paulo post vita fungitur.

Res mira, hæc femina, quæ inter multa maleficia suum ipsius filium oculis privari iussit, facta est Sancta Irena; eius laicus patriarcha Tarasius etiam admissus est inter sanctos.

Si matrimonium Irenæ et Caroli Magni fieri potuisse, mutatane esset scena mundi? Probabiliter non. Nimis enim magna adhuc erat differentia inter cultum Orientalium et rudium Occidentalium, ut coniunctio duarum partium diu permaneret. ☙

---

1. Occasione huius concilii prima mentio Francofurti in textibus invenitur. Carolus Magnus ibi palatum curavit exstruendum.

2. Carolus Magnus tunc versatur Paderbornæ, ubi fontium aquis fruitur. Paderborna eiusque dioecesis publice create sunt anno 799 occasione occursus Leonis III cum Carolo Magno.

## SVVS REX REGINÆ PLACET

adagium 115

## DE SCIENTIA TRADITA

- *scripsit Iohannes van Kasteel* -

**G**eraldus Wailliez, quamquam *traditam*, ut ipse ego, peccati originalis expicationem opponit *geneticæ* a Christiano de Duve propositæ, mirari tamen videtur de argumentis in symbola mea allatis, immo de scientia illa quam *traditam* vocavi.<sup>1</sup> Hanc ergo paulo clarius definire mihi gratum erit, lectoribus ut sit spero fore. Pauca etiam verba addam de peccato originali.

*Scientia* est vocabulum a sancto Hieronymo in *Vulgata* sua usitatum, iuxta verba *notitia* et *cognitio*, ad Græcum γνῶστις vertendum. De qua scientia agitur? Certe non de quadam profana, sed de sacra quæ ideo *tradita* appellatur quod non a magistris docetur, sed a Spiritu Sancto traditur « septiformi munere » :

« Hierotheus doctus est non solum discens, sed et *patiens divina* ».<sup>2</sup>

« Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ (γνώσεως) secundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, etc. »<sup>3</sup>

Receptores vel possessores illius scientiæ *scientes* vel *scientifici*, Græce γνώσται vel γνωστικοί recte vocentur licet.<sup>4</sup> In *Novo Testamento* sæpe *testes* quoque, vel μάρτυρες, appellantur. Ut iam patet e verbis sancti Pauli modo citatis, quomodo in mundo profano pauci sunt veri scientifici qui theorias suas scienter profitentur, multo autem plures homines qui eis simpliciter credunt sine intellegendō, ita in mundo religioso pauci sunt veri gnostici qui prædicant quod sciunt, multo autem plures fideles vel credentes :

« Non in omnibus est scientia (γνῶσις) ».<sup>5</sup>

« Sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine *superioris scientiæ*, quæ scilicet est scientia Dei et beatorum ».<sup>6</sup>

« Doctrina nostra in solidis tabulis lapideis incidi vult; quæ ex utroque latere insculpantur, quia altera pars Legis visibilis est, altera latens: prior facies destinatur multitudini quæ in radice montis manet, posterior illis paucis qui montem ascendunt usque ad verticem ».<sup>7</sup>


« Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? »<sup>8</sup>

Peccatum originale, ad quod redeam, non solum animam corrupit sed etiam corpus, ita ut sancto Isidoro

videatur *corpus a corruptione appellari*.<sup>9</sup> Idem auctor scribit :

« *Mors a morsu* hominis primi, quod vetitæ arboris pomum mordens mortem incurrit ».<sup>10</sup>

Etiam bene nota est etymologia quæ *malum* facinus factum per *malum* fructum comesum explanat. In celeberrima imagine a Bertholdo Furtmeyer picta, videntur peccatores ab Eva in ora sua peccatum originale recipere quod sub specie malorum necnon capitis mortui in arbore mortis et vitæ figuratur; a qua arbore Sanctissima Virgo corpus Christi vivificans sub specie hostiarum decerpit ad fideles sanandos.



Nonne ante communionem in Ecclesia catholica celebratam hostia *medela* vocatur quæ « prosit ad tutamentum mentis et corporis »? Nonne sacerdos ipse postea precatur: « Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et sanguis, quem potavi, adhæreat visceribus meis. Et præsta ut in me non remaneat scelerum macula »?

Quod communio eius generis efficax est ad malum e sanguine expellendum, in *Actibus apostolorum* clare illustratur, ubi legimus :

« Cum congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem et imposuisset super ignem, vipera, a calore cum processisset, invasit manum eius. Ut vero viderunt barbari pendentem bestiam de manu eius, ad invicem dicebant : – Utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, Ultio non sinit vivere ! Et ille quidem, excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. At illi existimabant eum in tumorem convertendum et subito casurum et mori. Diu autem illis sperantibus et videntibus nihil mali in eo fieri, convertentes se, dicebant eum esse deum. »<sup>11</sup>

Quin textus quos supra rettuli origine gnostica sint, dubitandum non est. Redoleantne etiam manichæismum, sicut fortasse vult Geraldus Wailliez, nescio qui eam doctrinam non satis bene novi. Si vere redolent, minus differre videtur traditio manichæista a scientia catholica quam creditur. ☩

1. Cf. *Melissa* n. 154, « Originalis peccati tradita explicatio », et n. 156, « De vere translatica peccati originalis explicatione ».

2. Dionysii Areopagite *De Divinis Nominibus*, 12 ; cf. *Summa theologiae*, I, 1, 6.

3. I *Ad Corinthios*, 12, 8 ss. Septem munera Spiritus Sancti sunt : sapientia, intelligentia, consilium, fortitudo, scientia, pietas, timor Dei.

4. Cf. *Actus apostolorum*, 26, 3. Latine vocabulum *gnosticus*, solum in rebus religiosis usitatum, hodie fortasse anteponendum est ut confusio evitetur cum vocabulo *scientificus* semper in rebus profanis usitato.

5. I *Ad Corinthios*, 8, 7.

6. *Summa theologiae*, I, 1, 2.

7. Gregorii Nazanzeni *Sermones theologici*, 2, 2.

8. *Ad Romanos*, 10, 14. Prædicator ille non ab hominibus creatur, sed a Deo mittitur (cf. *ibid.*, 15).

9. Cf. *Etymologie*, II, 1, 14.

10. *Ibid.*, II, 2, 31.

11. *Actus apostolorum*, 28, 3 ss.

## VOX SILVIT

– *scripsit Alanus Van Dievoet* –

**V**ox siluit, vox illustris et cara, vox Luciani Pavarotti. Vox potens et quasi sacra quæ per tot annos usque ad astra misit cantum doloris et gaudii generis humani. Vox quæ fuit ut clamor ingens, ut clamor mortalium coram infinito.

Sed hæc vox, propter miraculum scientiæ, non omnino periit, ut echo perpetuus servatur in discis sonoris, et resonabit per sæcula futura. Sed quid vox

sine vita, nisi pallida umbra ?

Ita pleni sumus vocibus extinctis, vocibus parentum, amicorum, magistrorum, quæ pergit in corde profundo nobiscum confabulari.

Sed sunt voces incomparabiles, ut vox Pavarotti, quæ in se quasi omnium vocum extinctarum melos tragicum continent. ☩

## DE NOVIS LIBRIS

A. E. RADKE, *Iubila natalicia vel antithreni (contra threnos Ioannis Cochranovii)*, Fundacja Nauki i Kultury na Śląsku, Opole, 2009, 52 p.

Ioannes Kochanowski (1530-1584) habetur ut pater Polonicæ poesis. Postquam filiolam Ursulam perdidit morte abreptam, undeviginti threnos sive elegias exaravit quibus desperationem et dubia de Deo cecinit. His threnis Anna Elissa Radke, sub finem anni 2008, respondet decem iubilis propriæ filiæ, Gyburgæ nomine, tunc primum gravidæ, dicatis. Carminum numerus congruit cum decem graviditatis mensibus, si quidem antiquum numerandi modum respicimus : « Matri longa decem tulerunt | fastidia menses » (Verg., Ecl., IV, v. 61).

His iubilis Latine conscriptis (addita tamen Theodisca Polonicaque translatione), quibus triumphus vitæ dulce prædicatur, poetissa nepti venturæ fausta ominatur :

« O lusciniola blandula, | latens in uteri nidulo, | ubi tibi nec anguis nec draco | nocebit umquam, crede mi. » (Iubilum primum, v. 1-4, p. 12).

ISBN 978-8-3917-5466-5



J. A. ROJAS CARRERA, *Proverbia Latina Meissneriana, a Carolo Pascal collecta, nunc Latine, ope lexici Forcelliniani, explicata*, 101 p.

« Reliquum est, ut paucis ostendamus non minus utilitatis inesse proverbiis quam olim adfuerit dignitatis. Conducit autem parœmiarum cognitio cum ad alia permulta tum potissimum ad quattuor : ad philosophiam, ad persuadendum, ad decus et gratiam orationis, ad intelligendos optimos quoque auctores. » Hæc Erasmus in *Adagiorum præfatione*. Simili persuasione motus necnon Orbergiana docendi ratione nitus, Iarcius in usum discipulorum (et magistrorum !) illa proverbia Latina proponit non iam Francogallice, ut anno 1885 fecerat Carolus Pascal, sed Latine tantum explicata, ope Lexici Ægidii Forcellini.

Opus sane perutile, quod insuper pro auctoris benignitate hac in pagina interretiali facile invenietis :

<http://www.scribd.com/doc/30466406/Proverbia-Latina-Meissneri-Phraseologix-a-Carolo-Pascal-Addita>

Atque ut prægustationem iam statim habeatis, ecce suave adagium meditatione dignum : « Latine loqui – Latine loqui, est loqui proprie et eleganter. Cic. Brut. 45, 166 : Eodem tempore M. Herennius in mediocribus oratoribus Latine et diligenter loquentibus numeratus est. Id. Opt. gen. orat., 2, 4 : Ut pure et emendate loquentes, hoc est Latine. » (p. 53).



S. BERARD, *Capti. Fabula Menippeo-Hoffmanniana Americana*, Wenatchee, Cataracta Publications, 2010, 691 p.

Sæculo hoc vicesimo primo exstant adhuc Apulei. Stephanus enim Berard Latinis lectoribus veram offert fabulam Milesiam, in qua oratio soluta miscetur cum hexametris, mythistoria cum philosophia, conspicua cum arcanis, moderna argumenta cum antiquo stilo, idque maxima cum ubertate et inventionis copia. Ii, quibus notus est Ernestus Theodorus Amadeus Hoffmann, in hoc opere agnoscent « realismum phantasticum » cuius scriptor Germanus dicitur esse inventor, et quo auctor ipse profitetur se valde esse imbutum. Bone lector, linguam haud semper facilem dum adgredi valeas suffusus eris flumine quasi Felliniano.

De quo opere plura hic : <http://commons.wvc.edu/sberard> > Boreoccidentales > Latin > 05.



Axel SCHÖNBERGER, *Priscians Darstellung der lateinischen Konjunktionen. Lateinischer Text und kommentierte deutsche Übersetzung des 16. Buches der Institutiones Grammaticæ*, Francofurti Mœnani, Valentia, 2010, 202 p.

Augetur grammaticorum Latinorum series, quæ in his paginis iam nonnullis occasionibus est annuntiata.

Ecce ergo, post librum quartum decimum « De præpositione » tertiumque decimum « De pronomine », Prisciani sextus decimus liber « De coniunctione », simili ratione ornatus Theodisca translatione, adnotationibus, commentario, bibliographia, anastatica redimpressione præclaræ editionis ab H. Keil undevicesimo sæculo factæ. ISBN 978-3-936132-09-0





# *In hoc fasciculo !*

*De conventu Romano [G. Licoppe] p. 1*

*De nanomachinis [G. Licoppe] p. 4*

*De trinitate sancta et scientia certa [S. Jansson] p. 6*

*Nicolai Klimii iter subterraneum (IV) [H. Holberg - F. Deraedt] p. 9*

*De Romano imperio orientali (X) [G. Licoppe] p. 10*

*De scientia tradita [I. van Kasteel] p. 14*

*Vox siluit [A. Van Dievoet] p. 15*

*Bibliotheca Latina p. 16*

*Imago tegumenti : Trinitatis allegoria*

*(De lapide philosophorum').*

---

## MELISSÆ ITER TVNETANVM

### TVNESIA ANTIQVA – AFRICA ROMANA

18-25 Sept. 2010

de quo plura hoc loco :

<http://web.me.com/fundatiomelissa>

---

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuaæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

Banque ING : 310-0644994-30,

Bic BBRUBEBB, IBAN BE15 3100 6449 9430

